

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Georgii Calixti S. Theol. D. ... De Praecipuis Christianae Religionis Capitibus Disputationes XV.

Calixt, Georg

Helmeftadii, 1658

VD17 VD17 3:303575N

Sereniffimo celfiffimo qve principi ac domino, AAugufto brunsvicenfium
duci, [...]

[urn:nbn:de:bsz:31-128662](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-128662)



*SERENISSIMO CELSISSIMOQUE PRIN-
CIPi AC DOMINO,*

**AUGUSTO
BRUNSVICENSIVM ET
LUNEBVGENSIVM
DUCI,**

DOMINO MEO CLEMENTISSIMO

SALVTEM ET FELICITATEM.

Quod sisto & Serenissimæ Celsitudini Ve-
stræ devotè offero Disputationum volu-
men, doctrinæ Christianæ & juxta eam enata-
rum Controversiarum summam uno quasi fa-
sce complectitur. Ambigo verò ipse novumne
opus hoc dicere debeam, an antiquum, an u-
trumque eorum. Antiquum certè videbitur
quòd ante annos quasi quadraginta septem piæ
memoriæ Parens meus illud consignârit, quum
sui & aliorum exercendorum gratiâ Disputati-

(:) 2

ones

ones Theologicas instituendi & edendi facultatem obtinuisset. Eruditorum videlicet examini, publicæ Professioni nondum admotus, submit. Quum autem tantopere probasset hoc doctrinæ, ingenij & industriæ specimengloriosæ memoriæ Princeps FRIDERICUS ULRICUS, immortale illud Guelficæ Familiæ decus, ut post non adeò prolixam temporis moram, triennio nempe vix elapso, juventutem sacris initiationam, studijs in Illustri hac Juliâ vivâ voce erudire & Theses Theologicas sub præsidio ejus, ut Scholarum mos est, publicè defendere jusserit, recensuit eas, in eum, quo nunc dispositas exhibemus, ordinem redegit, & iteratò edidit. Nec rationes tamen deficiunt, cur, ut Lectori gratior sit opera, ab aliquâ novitate eam commendare auserim. Simul ac enim prodiret iste Disputationum fasciculus adeò avidè in eum involârunt emptores, ut distracta citius quàm edita viderentur exempla. Ut autem in humanæ divinæque sapientiæ studijs apud nos enutrita juvenus longè lateque disseminatur, ita quoque factum ut ab emigrantibus ablata opella, ibi ubi nata est evanesceret, & per
mut

multos annorum tractus visa non sit. Per tantam igitur moram & non exiguum temporis intervallum emortua nunc reflorescit, & è tenebris in lucem atque theatrum denuò producta, recens nata ac nova haberi meretur. Quod autem alijs *τὴν ἀνακρίσιν* Parentis mei scriptis, quæ Deo benignè adspirante in usum posteritatis edere constitui, hoc præmitto, officij mei ratione admonitus facio. Quum enim Ser^{mi} & Celsissimi Brunsvicensium & Luneburgensium Duces, Principes & Domini mei clementissimi, Locorum sive Dogmatum Theologorum Professionem ante proximum cum dimidio lustrum benignè mihi demandassent, è re Auditorum fore existimavi si cuidam systemati Theologico, cujus ductum sequantur, adsuescant: tali, inquam, systemati quod non nuda dogmata sed suo quoquo loco intermixtas controversias exhibeat, & fastidium quod simplex articulorum fidei consideratio gignit, gravi controversiarum examine detergere valeat. Disputationes igitur, quas Tuo, Ser^{me} Princeps, & cunctorum eruditorum expono conspectui, quum à beato Parente meo ante complures annos ita adornatæ sint, ut u-

trumq; abundè præsent, & dogmata & contro-
versias veluti in compendium redactas tradant,
& proinde instituto meo ex asse respondeant, ni-
hil quod prohibeat fore arbitratus sum, quo mi-
nus desideratissimi genitoris vestigia legam, &
ad eosdem, ad quos ille olim, ego hodie adhibeã
usus. Variæ autem & graves causæ me compu-
lerunt, cur hoc, quicquid ejus est, potissimum sub
Augusti Tui nominis auspicijs, in lucem prodire
vellem. Primùm quidem beneficia à Ser^{mâ} Cel-
situdine Tuâ, tum in beatum Parentem meum,
tum in me quoq; ipsum collata, majora quidem
sunt, quàm ut à me exponi dignisque laudibus
extolli vel prædicari possint, jamdiu tamen
commonefecerunt, ut, quum omne quicquid in
me est virium, ad referendam gratiam non suf-
ficiat, qualecunq; saltem submissi & devoti ani-
mi pignus reponerem. Verùm magis tenue &
exile quod affero esse videtur, quàm ut Celsitu-
dini Tuæ offerri mereatur. Neque etiam ego,
fateor, offerre ausus essem, nisi ad eum, qui offi-
cinam in quâ natum est & unde haut ita pridem
prodiit, amplissimis donavit privilegijs & immu-
nitatibus, suâ sponte properare videatur: nisi et-
iam

iam constaret notumque sit per orbem, quantâ
Tu, Ser^{me} Princeps, polleas eruditione, quantâ e-
ruditos prosequaris benevolentia, quanto pieta-
tis & Theologiæ studia favore promoveas. Te-
stantur hoc ipsum & admirantur ubiq; terrarû
viri doctrinâ & virtute præcellentes; testantur
scripta quæ in publicam lucem prodierunt; te-
statur Bibliotheca adeò insignis, ampla & instru-
cta, ut à nullâ intra Germaniæ, Galliæ, Italiæq; fi-
nes superetur, imò omnes (quod tantò ausim as-
serere tutius, quantò præcipuas earum perlu-
stravi studiosius,) superet. Haut verò inter
postremas Serenitatis Tuæ virtutes reputandû
censeo, quòd non minus literarum & benigni-
tatis in doctos, quàm rerum præclarè gestarum
laude excellat. Optimè scilicet novit Celsitudo
Tua, studiorum dignitatem æstimare, & quòd
absq; eorum adminiculo nec Ecclesiæ nec Rei-
pub. sua incolumitas consistere possit intelligit.
Honor igitur & munificentiæ Principum, quum
non minus bonas artes excellentiaque ingenia,
quàm bona temperies ac aëris clementia copiã
ac ubertatem frugum producat, sumptum in li-
teras facere lucro sibi ducit Celsitudo Tua, &
tum

tum demum opes rectè collocari persuasa est, si
in pietatis, virtutis & sapientiæ studia erogentur,
Cæterùm quū omnia illa notiora sint orbi quàm
ut meâ commemoratione indigeant, abrumpe-
re hîc malo incomptum sermonem, quàm tanti
Principis laudes culpâ ingenij deterere. Unum,
igitur saltem, ne prolixitate molestus sim, addo,
quod me impetraturū, Tua, Ser^{mo} Princeps, be-
nignitas, ultrò pollicetur. Celsitudinem videli-
cet Tuam haut inclementer laturam, quòd in
tam AUGUSTI Principis Fano, exiguo adeò tuscu-
lo litare mihi sumam, sed aliquam saltem par-
tem benignissimi favoris, quo studia Theologica
gloriosè protegit & fovet, meis quoque conati-
bus & huic scripto clementer concessuram, lu-
culentamq; illam & illustrem planè clementiam,
quâ Parentem meum vivum amplexa est, etiam
post pia fata viri conservaturam, & pariter in
me, AUGUSTI Vestri nominis devotissimum
cultorem, benignè derivaturam. Postremò,

SERENISSIME PRINCEPS,

accipe pium votum, quod pro Tuâ Celsitudine
& totâ Serenissimorum Brunsvicens. & Lune-
burgensium Ducum Domo facio. Diutissimè sal-

vi at-

vi atque incolumes, Patriæ, Reipub. literariæ, Julia nostræ, imò potius Vestræ, bono, rebus interesse humanis. Res magnas feliciter gerite, patriã subditosq; paternè protegite, fortiter omnes insultantium impetus repellite. Immortalis Guelforum Heroum gloria splendorq; in memoriã ac ore bonorum omnium vivat, nec florere & succrescere desinat, priusquam orbis terrarum & quæcunq; in eo interitui sunt obnoxia, finem suum fortiantur. Denique consummato hoc seculo, in futuro corpore animoq; æternùm vivite, cœlestibus permixti choris. In Acad. Juliã quæ est Helmestadij Saxonum Anno 1610 c. lxx. ipsis Idibus Iunij.

Ser^{ma} Celsitudinis Vestræ

subjectissimus & devotissimus

cliens

FRIDERICUS ULRICUS CALIXTUS D.

(: (:

PHALEU-

